



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 6. Principia & viæ, quibus peccator solet conuerti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)



quanta mortis certitudo; quanta incertitudo  
 ultimarum horarum; quanta diuini iudicij seueritas;  
 quantum æternæ damnationis periculum;  
 quanta Auernalium suppliciorum immensi-  
 tas. Hæc cupiebat fratri suo inculcari, vt  
 tam horrendorum malorum memor, de mo-  
 do ac ratione cogitaret, ea euadendi; tan-  
 demque, ab exitijs suis pedem referret. Vt  
 enim viator locorum notitiam non habens,  
 si densa nocte, dum præcipitio proximus est,  
 repentino cœli coruscantis splendore, ani-  
 maduertat, certò sibi pereundum, nisi pedem  
 referat; sine mora retrocedit, instantis peri-  
 culi terrore totus contremiscens: ita pecca-  
 tor, cuius via tenebra & lubricum, mox, vbi Psal. 34. 6.  
 eius menti cœlestis luminis illuxit corusca-  
 tio, discrimen videt, in quo versatur, hor-  
 ret, & resilit à viæ suæ prauitate. Hoc est,  
 quod de terreno homine dicitur: Illuxerunt Psal. 76. 9.  
 fulgura, & coruscationes tuae orbi terra: vidit,  
 & commota est, & contremuit terra. Rectè  
 igitur, pro fratre suo, & recta orauit.

O quàm potens est oratio, profecta à cha-  
 ritate! immo, quàm clemens & benignus  
 Deus, in amicorum suorum precibus exau-  
 diendis! Siquidem lachrymas tam pij fra-  
 tris, pro pereunte fusas, aspexit; & vota  
 adm-

VII

PRINCIPIA ET  
 VIAE,  
 QUIBUS  
 PECCATA



TOR 30-  
LET CON-  
VARTI.

admisit ad aures, toties ardentissimè suspi-  
rantis. Vt ergo sceleratum iuuenem sanaret,  
vulneravit; quemadmodum & chirurgus so-  
let, cùm sanguinem è vena mittit. In mor-  
bum itaque, & in lectum compegit insanien-  
tem. Videte nunc, vt omnia in contrarium  
trahat ars Acherontica! Varios mittit mo-  
nitores Deus: varios seductores diabolus.  
Deus à peccatis retrahit, per conscientiam  
vellicantem; diabolus peccata extenuans, ad  
ea mentem allicit, quæ contemnit vt parua,  
appetit vt dulcia. Deus permittit, vt homi-  
nes de malis malè loquantur, itaque turpitu-  
dinem suam agnoscant; diabolus socios sub-  
mittit, qui laudent delinquentes & aliquid  
audentes, faciantque improbos, in rebus  
pessimis exultare. Deus oues errantes diri-  
git ad concionatores, ac duces spirituales;  
diabolus eas abducit, ne audientes vocem  
pastoris redeant ad mandram. Hinc pessi-  
mus quisque optimum quemque fugit, vt an-  
guem. Deus denique, vt animas sanet, sæ-  
pe finit corpora mortalium ærotare. Mul-  
ti, cùm per inualerudinem peccare non po-  
tuerunt, cœperunt cogitare meliora. Nam  
& suæ illis in mentem venit naturæ fragili-  
tas; & breuitas vitæ; & rerum humanarum  
vanitas;



vanitas; & tribunal, quod à morte est, hominibus adeundum; & culpæ, in quas inibi anquiretur; & supplicia denique, quæ reis decernentur. Quæ vt effugiant, cogitant de modo & via euadendi. Offert se se illis diuinæ bonitatis immensitas; erigitur spes; quaeritur exitus; arripitur, velut in naufragio, tabula pœnitentiæ; flentur, recensentur, delentur peccata; & fit iustus, qui antea fuerat omni scelere coopertus. Sic fit ex ipsis morbis medicina; ita, corpore afflicto, Deus sanat animam ægotantem; sicut fuit videre, in Ezechia, qui *agrotauit usq; ad mortem*, vt re-  
4. Reg. 20  
1. Reg. 2. 6  
1. Reg. 2. 6  
.9  
Cuius  
*tiùs disceret viuere. Ad hunc nempe modum Dominus mortificat, & viuificat.* Diuersa via graditur diabolus. Nam ad peccandum validis, culpam eleuat, crimen omne excusat, ne delinquere vereantur. Ast vbi, debilitatis viribus, vita è filo cernitur pendere, & ad mortem vltimam rerum lineam venitur, ibi à fronte præcipitium, à tergo lupos ostendit. Nam omnia coaceruat, & accumulatur, vt anxium, inter dolores, animum adigat ad desperationem. In hoc igitur vnico non est disparitas, quòd neque Deus neque diabolus *vnica*, vt dicitur, *scutica omnes impellat*; sicut enim diabolo *Mille nocendi artes*, ita Deo semper *mille salutis erunt.*

Cuius